

Visual Library Portal

Digitalisierung von Drucken des 17. Jahrhunderts

Disputatio Solennis Medica De Vomica Pulmonum

**Albinus, Bernhard
Praetorius, Johannes Fridericus**

Francofurti ad Viadrum, 1693

VD17 23:269984B

urn:nbn:de:s2w-3288

Tuberculose ?

96

DISPUTATIO SOLENNIS MEDICA
DE
VOMICA
PULMONUM,

Quam
DEO AUXILIANTE
Gratiosissimæ Facult. Medicæ Indultu
in Academia Viadrina

PRÆSIDE
RECTORE MAGNIFICO
DN. BERNHARDO ALBINO,
PHIL. & MED. DOCTORE, HUIUSQ; PROF. PUBL.
ORDINARIO, SERENISSIMI ac POTENTISSIMI ELECTO-
RIS BRANDENBURGENSIS CONSILIARIO & ARCHI-
ATRO, FACULTATIS MEDICÆ h. t. DECANO,
PATRONO atq; EVERGETÆ SUO ÆTATEM COLENDO,

PRO LICENTIA
SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES & PRIVI-
LEGIA DOCTORALIA CONSEQUENDI:
Ad D. Septembris horis ante- & pomeridianis
ANNI MDCXCIII.

Publico examini submittet
JOHANNES FRIDERICUS PRÆTORIUS,
Berolino Marchicus, Circuli Regiomontani in Neo-
Marchiâ Physicus Ordinarius.

Francofurti ad Viadrum, Literis CHRISTOPHORI ZEITLERI.

THE UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

WOMING

1870

General and Special

Examination

of the Faculty of Medicine

of the University of Toronto

1870

Printed by

W. H. King

1870



TH. I.



N foro medico qvodvis apo-
stema, qvamcunqve par-
tem occupaverit, vomica
dici consuevit. Cum enim
ἀφιδάνα græcis dicatur,
qvando in ipsis partibus
carnosis humor consistit
& putrescit, parte ipsa nec
dum aperta, circumposita
corpora excoriat, spatium
sibi moliens, vel inter duas
tunicas, vel sub certis mem-

branis, Galeno teste, putresqve vomicæ easdem ha-
beant proprietates ac late pateant, nec pars corporis
sit qvam vel non occupaverint vel olim occupare
possint, adeo ut sub illis sinus & empyemata à non-
nullis comprehendantur, id nominis sortitæ sunt, qvod
virulentum qvid vomant & merum virus contine-
ant, unde eos Juvenalis putres appellavit & Octavius
Cæsar Augustus qvoties nefanda suæqve familiæ
indecora probra, qvibus Agrippa & Juliæ, filia nem-
pe & neptis, contaminabantur inter gemitus & su-
spira ad vivum exprimere satagebat, illos tres suas
vomicas nominare consuevit. Sed omnes non pro-
sequar, & ut rem in pauca conferam de iis pulmo-
num modo acturus sum. Qvod dum facio ab auto-
ribus nonnullis tuberculum dici reperio, qvod dupli-

4 *Dissertatio Medica*
cis generis esse notant, crudum aliud, aliud matura-
bile, quorum illud gradatim intumescendo ægrum
tandem suffocet, hoc verò in pus abeat, donec parti-
bus adjacentibus successivè corrosis medium crepet:
& hæc tubercula pure vario repleta tenui membrana
conclusa, minora vel majora, rectissime pro vomicis
habenda existimat *F. d. le Boe Sylvius prax. med. app.*
tract. 4. §. 51. Talesque vomicæ integræ ovi minoris
gallinacei magnitudine membrana clausæ tussi reje-
ctæ memorantur apud *C. Stalpart van der Wiel obs. cent.*
1. obs. 32. Schenck. obs. med. lib. 2. obs. 6. & passim alibi.

TH. II.

Vomicarum harum materies olens & foetidissi-
mum pus est, licet non semper merum, quandoq; enim
cum pure sanguis coagulatus & crassus insigni copia
reijcitur; ut hanc illius sententiæ, quæ sanguinem in
membraneam capsulam sensim effusum ibidemque
collectum & tandem in pus abeuntem vomicam face-
re, originem esse crediderim. Juvenem vidit Do-
minus Præses cui cæteroquin sano & nihil minùs o-
pinanti oborta tussis vomicam rupit & sanguinis
crassi, coagulati & nigri aliquot expresit libras, do-
nec tandem foetidum sequeretur pus, in initio alter-
nis vicibus modo sanguine, modo pure, vel solitarie,
vel mixtim rejectis, donec tandem exhausto omni
sanguine merum pessimi foetoris pus aliquot dierum
imò septimanarum spatio appareret, ægrumque non
tantum enecaret, adeò ut sola vomicæ materies sem-
per pus merum non sit.

TH. III.

Pulmonum vomicam multo difficilius cogno-
veris atque curaveris: æternæ enim veritatis est N.
Tulpii

Tulpium effatum: vitium hoc inter initia ita clanculum latere ut vix ulla sui proferat indicia, præter tusficulam primo siccam, mox humidam, quæ aliquamdiu continuante trahatur difficulter spiritus, deficiat anima & emarcescat paulatim corpus, licet interim nec pus nec sanguinem præ se ferant sputa, sed si rumpatur, nec opinanti, vomica: occiditur dictum ac factum homo. Vel si manserit aliquando exitio suo superstes: consumitur tamen lentè à febricula; sive ob pus sive ob sanguinem, per thoracis interiora effusum *Obs. med. lib. 2. Obs. 10.* Notari tamen velim illa, quæ de exitu memorat, suas pati exceptiones. Fit etiam nonnunquam ut aucta pulmonari vomica febricula cum marcore succedat, donec repagulis ruptis quæquæ versus exundet & vel pectoris cavum repleat, vel asperæ arteriæ ramos inferciat & vel tusi rejiciatur, vel aëre intercepto hominem suffocet.

TH. IV.

Quæ procatarticae mali hujus causæ sint non ita in aprico est, latet quippe vitium in initio, unde originem ejus non facile detexeris: non tamen aliæ ab aliarum partium suppurationibus erunt. Nihil facilius est quam in illâ vasorum vesicularumque multiplicitate propter perpetuum frigidioris aëris ingressum obstructions gigni, indurari vel inflammari partes tandemque rupto contextu colligi humores locumque suppurari. Catarrhi acres & salsi, tusses vehementiores causæque; externæ violentiores facillime partes erodunt, lacerant, humorumque per eas circulum largo puris proventu sistunt. Ut nempe pus in parte quâdam colligatur non alio eget mysterio, quam ut obstructions, quæ obicem humoribus pro nutritio-

ne partium circulantibus ponunt, fiant. Eadem nempe materia quæ pro nutritione corporis in latifundia partium deponitur pus est cum in locum incidit ubi colligatur & stagnet, à se mutuo ejus recedunt particulae, alia fit à seipsa, corrumpitur, putrescit &, quod heterrhogeneis liquoribus commune est, à calore corporis acorem & acrimoniam contrahit, vicina quæ sunt erodit & dum nares moleste ferit suo à naturali statu se recessisse se prodit indicio. De reliquis rebus non naturalibus aliisque similibus obstructionum causis subjungam nihil, cum à nemine facile ignorari possint, quandoque verò à minimis dependeant circumstantiis.

TH. V.

Miraberis verò qui fieri possit adeò non sentiri hoc quicquid est mali, ut ægri citius se perisse quam in periculo fuisse experiantur. At velim scias ex multiplicibus vasorum furculis sibi occurrentibus varieque complicatis & intertextis reticulum constitui cujus plexui glandulae perexiguæ substernantur & cohæreant; in unâ vel pluribus harum fiat obstructio, ruptio vel inflammatio uncula propter exiguitatem sensibile non erit malum, & licet paulatim succrescat & majus fiat, nec dum tamen sentietur, cum consveta nos non afficiant, huic verò propter paulatinum progressum adeò assueti sumus, ut licet jam satis notabile sit, id non attendamus, præprimis cum pulmonum usui non officiat, nec respirationem impediat, &, quod caput rei est, intima pulmonum substantia penitus aut ferè penitus insensibilis existat (si interiorum tracheæ bronchiorum membranam exceperis) quoniam nervæ fibræ, quibus intertextitur, funiculorum formam retinent nec in membranas explicantur. *R. Vieusfens*
Nov.

Neyrograph. Univ. lib. 3. cap. 4. Hinc est quod malum latens sit, & totus etiam pulmo nihil aliud quam vomica & purulentia fuerit observatus à *P. Foresto obs. 51. l. 15.* Hinc fluit ut de vomicarum ætatibus nihil certi constet, non enim succrescere sensim sed maturuisse videmus.

TH. VI.

Tuberculum quantumvis exiguum fuerit nervos tamen, qui pulmones ipsos penetrant & membranas eorum vesiculas, sangvifera vasa & bronchiorum ductus variè atque variè supercandunt, pondere suo, ut ut exiguo, atque duritiè hic loci premit & tussis autor est. Quæ sicca erit, cum cæteroquin omnia se bene habeant nec humor bronchiis impactus sit: donec tandem per exiguæ glandulæ totum tracheæ dorsum obducentes crebris concussionibus lympham in tracheæ cavitationem copiosius deponant & ex sicca fuit humida tussis: successu temporis difficilius trahitur spiritus, quia ex innumeris glandulis omniq; pulmonum reticulo per omnes pulmonum recessus excurrentibus, quarum pori humori transmittendo tandem asvescunt, & figuram transmittendo humori aptam, constanter singularem nanciscuntur, humor ille depluit & fistulis bronchialibus impactus, aëris viam intercipit & dispnoeam parit, ad quam non minimum tuberculi aucta moles easdem comprimendo confert. Tantum tamen abest ut vomicæ suspicio subnascatur, quin potius humor tussi rejectus omnem ægroti querelam & medici curam ad se trahit.

TH. VII.

Rumpitur tandem tuberculum & vel purum putum pus vel una sangvinem vomit: pulmonare nempe

pe hoc apostema è minimo fit maximum, tandemque sua acrimonia vel mole membranam, cui includitur exedit & rumpit ad quod tussis concussio non parum iuvat, & ita quicquid sinu suo fovebat vel in bronchia transmittit, vel in cavitatem pectoris ejaculatur; totumque hoc quicquid est à solo dependet situ quem in pulmonibus obtinet. Videlicet cum glandula una vel altera forte fortuna obstruitur vel inflammatur, qui sistuntur humores ejus contextum solvunt, quo ipso non modo fovea fit sed etiam continuitas tubulorum solvitur, ut, quicquid ad illam appulerit, ibi sistatur & propter quietem corrosivum acorem contrahat; exeduntur ita interiora glandulae membrana ejus ad tempus superstite, quae ex more membranarum ad modulum contenti puris dilatatur & crassescit, & cum vomicae amplitudine firmatur, vel brevi etiam rumpitur, & tussi rejicitur; non enim magis à corrosione immunis quam reliqua glandulae vascula est; concurrunt verò quandoque circumstantiae quae illam à puris acredine muniant. Vomica insignis magnitudinis in Virgine Nobili ruptam Dno Praeses vidit, in qua magna involucrorum vomicae frustra non absque periculo suffocationis tussi rejecta sunt: quae non membranacea, sed illi cuticulae, quae pultibus ex lacte & farina confectis propter ambientem aerem frigidum superinduciasolet, analogae fuere, numerus etiam, qualitas, aliaeque in superficiebus notabiles circumstantiae ad sensum docuerunt, ceparum instar hoc apostema ex tunicarum involucris contextum fuisse. Hae tunicae, quae insigniter laeves & lubricae multoque minus reliquo pure foetidae, ab acrimonia margines vomicae omnino aliqvantisper muniverunt, ita ut licet

9
cet ab aliquot annis conqvesta fuerit se in sinistro
quidpiam sentire latere, tussim tamen si exceperis, de
nullo notabili conqvesta unquam incommodo. Idem
fiet si acre pus aliquod vasculum sangviferum ero-
ferit, effusus & coagulatus sangvis apostematis margi-
nes plus minusvè tuebitur, quo minùs tam subito cor-
rodantur, licet interea temporis propter perpetuum
affluxum mole fiat permagnum & vix credibilis pu-
ris qvantitas colligatur, ut jam alias taceam circum-
stantias à quibus idem contingere potest.

TH. VIII.

Aucto abscessu corpus emaciatur & lenta febre
contabescit; halitus enim acres dum per innumera
vasa sangvifera oberrant poros illorum ingresi san-
gvinis texturam turbant & continua febre adu-
ritur corpus. Ab iisdem etiam acris fit, unde
acre serum solidis affusum partibus non modo iis
non apponitur sed potius aliquod abradit corpusque
emaciatur.

TH. IX.

Dubii eventus malum est, subitanea enim aper-
tio suffocationem facile causatur, vel lentum ac diu-
turnum ulcus pulmones ulterius corrumpit & phthi-
sin minatur. Prioris tragicum fere exemplum ela-
pso februario mense in Viro quinqvagenario majo-
re Dominus Præses vidit: qui cum sanus lætusque cu-
bitum ivisset, circa medium noctis expergefactus in
mortis articulo versabatur parumq; abfuit quin suffo-
caretur, nisi in tempore vomica rupta & pus ejectum
fuisset. Posterioris verò oppido multa apud Practi-
cos leguntur exempla, & in juvene Dominus Præses
pulmonum portiunculas tussi rejectas notavit. Nec
B tamen

tamen semper est funestus exitus, sed sæpe felicissime curantur. Vide ENC. dec. 1. an 9. & 10. Obs. 157. & ann. 8. Obs. 97. & passim plures: prostat etiam exemplum Vomicae plusquam quadragies sanatae utut tandem emortualis ENC. d. 2. a. 6. Obs. 186. unde P. Barbette *prax. lib. 2. c. 3.* & se & alios vomica pulmonis laborantes curatos vidisse varios scribit, facile tamen recidivam patiuntur ægri, sive quod pulmonis cavitas non bene consolidetur, vel consolidata licet cicatricem habeat minus firmam, sive quod alia tubercula simul exulcerata sint & cum tempore maturitatem nanciscantur, vix enim fit ut una saltem glandula exulceretur, sed plures occupat labes, hinc in demortuorum cadaveribus plures reperiri assolent, aut etiam in ægris plures successivè rumpuntur, quæ inter sese communi aditu patent, hujus exemplum vidit. *Th. Barthol. hist. anat. rar. cent. 2. hist. 59.* Illius vero habet P. Paw. sinister, scribit, pulmo ingentem ostendebat abscessum a quo sa sanie taboque plenum, qui plus quam quatuor libras saniei effundebat. Præter magnum hunc abscessum plus quam triginta locis hinc inde exigua habebat apostemata vero ac cocto pure albo referta. Ut plurimum, inquit Hippocrates, brevi servantur, quos febris, statim atque eruptio facta est, dimittit, & cibos appetunt, & quibus pus facile educitur album, odoris expers, læve, ejusdemque coloris, sine pituita, ac alvus exigua ac coacta reddit. At verò ii moriuntur, quos febres consequuntur & sitis & cibi fastidium, si pus lividum aut ex pallido virescens, aut pituitosum aut spumans, ac insuper si alvus est liquida. Quibus autem ex prædictis partim quædam adsunt, partim verò absunt, hi quidem moriuntur, illi verò post longa
tem-

temporum intervalla sani evadunt. *Coac. pranot. sect. 2. §. 402.* Si ex interpretatione Anutii Fœsii *ὄιδημα* vomicam denotet: hodie enim illi tumori, quem pituita procreat, proprium esse volunt, quod nempe molle laxum, indolens, album est, & digito prementi cedit, qualis sæpe in pedibus & cruribus eorum oritur qui cachexia laborant. Galenus vero notat; omnes præter naturam tumores Hippocratem oedemata, id est, inflationes nominare, sub quibus etiam inflammationes contineantur: hic verò loci *ἐμπυήματα* sine dubio intelliguntur, quam ægritudinem Latini modo suppurationem modo vomicam dicunt, estque nomen empyematis modo commune ad omnes suppurationes, modo peculiariter designat eam quæ fit in thorace. *Mercurialis med. pract. lib. 2. cap. 8.* Ut ut verò fit res eodem redit hic enim utriusque eadem prognosis est. Salutem quæ promittunt fermentationes in corpore robustas, cætera omnia sana & morbo majora arguant. Quæ verò mortem præfagiunt fermentationes debiles, & corrosivam materiam, restitui & superari nescia mala esse indicant.

TH. X.

Subterfugit hoc malum medentum oculos, nec querulos facit ægros donec rumpatur, sed postquam medium crepuit utriusque sollicitudinem injicit, tumque demum ad remedia itur. E fonte chirurgico mirificè extollit venæsectionem Botallus, quæ solâ se plurimos jam confirmatos ab ulcere pulmonis phthificos ab orci faucibus liberasse gloriatur. Audax nimium mihi hoc videtur facinus esse, vires enim dejicit & morbo nullam medelam affert; extravasatum enim sanguinem & extra venas arteriasve in proprio sinu

fluctuat pus, quod nulla sanguinis detractio minuet. Eiusdem tenoris sunt fonticuli, vesicatoria & setacea magnis passim encomiis decantata, partem affectam non attingunt, nec causam morbi tollere potis sunt.

TH. XI.

Sunt Medici qui è pharmacìa vomitoria insigniter commendant, quos inter Hartmannus numeratur, qui si pulmonis exulceratio, quæ etiam phthisin exquisitam constituit, suborta recens sit, vomitiones multum prodesse scribit. Sed quæquam non inficier vomitionis conatu ex vicinis pulmonibus tabum exprimi posse, quis tamen mihi sponsor erit in illa pulmonum labe & putredine vasa sanguinea non ruptum iri, quo ipso remedium morbo periculosius foret; solâ quippe concussione juvat atque æquè cito semilacerum pulmonum vas rumpitur ac pus exprimitur; deinde in illa virium imbecillitate, quæ adesse solet, justus metus est ne æger fatis cedat. Tabi obnoxios, id est, qui exulceratos jam habent pulmones supra ne purgato aphoristicè enunciavit Hippocrates *Sect. 4. aph. 8.*

TH. XII.

His missis prima indicatio erit ut purulenta abscessus materia, quoad fieri potest, celerrimè expectoretur, deinde sinus abstergatur & post consolidetur, & ultimò ut tabi corrosivi acrimonia infringatur, sanguiniq; sua mixtura restituatur. Quæ facilius dici, quàm ad clinicorum grabbatos præstari posse in apri-co est: ad abscessum enim medicamenta non nisi post multos anfractus & fermentationum discrimina nec nisi fractis viribus perveniunt, adeoque ejus indolis esse debent ut in magna copia sumi possint, ita ut totū san-

fangvinem reddant medicamentosum nec tamen alias partes labe quadam inficiant. Præstabunt hoc medicamenta gummofa, refinofa, viscofa, ramofa, amara, terrea, falino - alcalico - volatilia, oleo subtili gravida, alcalica, amara & leniter adstringentia, ita tamen inter fe invicem diftemperata ut naturæ fint congrua. Helenium & liqvirita viscofis, ramofis & refinofis falinis particulis acrimoniam mitigant, expectorationem promovent, asperitatem leniunt, humores corrosivos involvunt & incrasant; balsamo suo crasiori & alcalino fere volatili, abstergit atq; acrimoniam infringit hypericum. Propter insignem vim traumaticam veronica & hederæ terrestris sunt sine pari. Tusfilago, falvia, scabiofa, cherefolium, hysfopus, polypodium, notiora sunt quam ut multis commendari debeant. Pasfulæ emolliunt: mel abstergit, aperit, lenit: viscosus ficuum succus emollit & lixivialis falis vel nitri instar abstergit. Ciceris substantiæ terrea ratione obtundunt acrimoniam. Ex his similibusve cum hydromelite, aut cum aqua calcis vivæ, quæ acidum egregie domat atque infringit, parata decocta multis satisfaciunt indicationibus. Quibus pro re nata si addideris leniter adstringentia vel amariscula, fanniculam, pilosellam, santalum, rubiam tinctorum pectoralia decocta habebis convenientissima. Nec displicet Bartholini consilium decocti ex herbis vulnerariis, pectoralibus aliisque parati vaporem ab ægro inspiratione cum aëre continuo recipiendum, ut ita vapor integris viribus & brevi viâ ad pulmones delatus ægritudinibus his medeatur *histor. anat. rarior. cent. 4. epist. 88.*

Sanguis pure inquinatus acerq; redditus corpus emaciat, suâq; acrimoniâ denuò ipsis pulmonibus nocet, quem vix commodius vel certius edulcoraveris quam lacte, quod parte sua butyrosa emollit, caseosa obtundit, & serosa, vi cuius insigne diureticum est, salia educit. Commendat Galenus hoc nomine lac insigniter, & quidem quod in Tabiis habetur, quia aër circumdatus ficcus & pascuum pecoribus salubre. *Meth. medend. lib. 5. cap. 12.* Animalium enim bene quidem habitorum lac boni succi est, at male habitorum non aliter atqve animalis sanguis mali: neque enim fieri potest, ut quum mali succi totum corpus fuerit boni succi reperiatur lac, idem Galenus de succorum bonitate & vitio *cap. 4.* scribit. Dependet vero hoc à nutrimenti bonitate: observasse contigit Dn. Præsidi, Virum, qui ob atroces podagricos dolores media bruma diætam lacteam servare coactus fuerat, mense maio, cum in pascuis gramine vescerentur vaccæ, lac propter saporem medicamentosum in initio vix assumere potuisse: aliosve eadem diætâ lactea usos, de sapore lactis cerevisiaceo conquestos fuisse, comperisseque tandem quod vaccæ, quia pascua aquis inundata fuerant, defectu graminis appluda polentæ pastæ fuerint. Herbarum vi imprægnatum si fuerit lac non parvum in ægrum redundabit emolumentum, intimius nempe herbarum virtus lacti mista promptius in sanguinem nostrum facescit, illumque nobis non animadvertentibus reddit medicamentosum, hinc passim etiam desperatissimorum phthysicorum ex ulcere pulmonum lacte curatorum leges exempla. *ENC. dec. 2. anno 4. Obs. 9. & alibi.*

XIV.

Pus absterget & mundificabit terebinthina, quæ præprimis thoracis affectibus convenit & vulneraria est, si ejus aliquid cum vitello ovi & aqua hederæ terrestris in colostrum cremori lactis analogum subigatur. Sin verò propter saporis ingratiam ab ea abhorreant fumantur balsama naturalia, peruvianus, copäibæ, vel artificialia, balsamus sulphuris terebinthinatus, succinatus, anisatus. Nec tinctura sulphuris ut & ejus flores hic suis carent encomiis, & magnæ efficaciam est pulvis factus ex radice ireos florentinæ, floribus sulphuris, saccharo & balsamo sulphuris anisato, qui omninò præferendus omnibus syrups atq; eclegmatibus his in morbis usurpari solitis, perpetuus enim dulcium usus nauseam procreat & appetitum destruit.

TH. XV.

Quæ dum fiunt febris negligenda non est, sed diaphoreticis & antifebrilibus sua sanguini conservanda mixtura, & quanquam cortex peruvianus non ultimam hic mereatur laudem, solus tamen non sufficit, donec enim pus illud sanguini miscetur, nulla speranda salus, adeoq; acrimonia ejus, donec evacuetur, quoad fieri potest, perpetuo infringenda antimonio diaphoretico simplici vel martiali, oculis cancrorum, testis ovarum, coralliis, cornu cervi usto & philosophicè calcinato, ebore, spiritu cornu cervi, salis armoniaci, vel simplice vel oleoso anisato, caryphyllato &c. liqore cornu cervi succinato, sale volatili succini, cornu cervi &c. quæ tali dosi & tempore exhibenda quales præfens rerum status requirit.

TH.

In rebus non naturalibus aër fit serenus : cibus fit euechymus & eupeptus, carnes nempe animalium, juniorum succulentæ, caudæ & chelæ astacorum, juscula consummata ex extremis animalium facta, gelatinæ, amygdalæ, dactyli, jujubæ, sebesten, pruna exiccata, pasfulæ, nuclei pineorum, pistacia, hordeum, oriza, avena. Potus fit decoctum sarsaparillæ, chinæ, fantalorum, lac in quo radices consolidæ ebullierint, emulsiones amygdalarum vel seminum quatuor frigidorum majorum, aqua hordei chalybeata, orizata, avenata, pineata, amygdalata. Motus & quies, somnus & vigilia, excreta & retenta non excedant modum, fugiat vehementiora animi pathemata.

